PRÆSIDE DEO TER OPTIMO MAXIMO DISPUTATIO INAUGURALIS DE JURE CONCEDENDI...



REVERENDISSIMO, EMINENTISSIMO atq; CELSISSIMO

PRINCIPI ac DOMINO,

DOMINO

JOHANNI PHILIPPO,

SACRI ROMANI IMPERII PRINCIPI ELECTORI,

& PER GERMANIAM ARCHI-CANCELLARIO, SANCTAE SEDIS MOGUNTINAE ARCHIEPISCOPO, EPISCOPO HERBIPOLENSI & WORMATIENSI, DUCI FRANCONIAE, &c.

Domino meo Clementissimo.

REVERENDISSIME, EMINENTISSIME atq; CELSISSIME PRINCEPS, DOMINE CLEMENTISSIME.


Nter fiduciam verecundiamque constitutus, non sine ratione dubitavi, alloquio an silentio REVERENDISSIMAM & EMINENTISSIMAM CELSITUDINEM VESTRAM venerer? audax

siquidem

ſiquidem facinus mihi viſum tanti PRINCIPIS oculos in ſe convertere velle, quorum fulgor non legendis levioribus privatorum ſcriptis, ſed totius Romano-Germanici Imperii rebus proſpiciendis impendi ſolet: Suaſit tamen fiducia, & ſuo quodam jure animum perpulit, ut acceptam dicerem gratiam, tantam, qualem nunquam merui, aut mereri potero, quando EMINENTISSIMA ac CELSISSIMA DIGNITAS VESTRA non infra faſtigii ſui ſplendorem duxit, ſereno vultu, gratioſiſſimo animo, & patientiſſimâ aure, neſcio quem juvenilem quondam meum audire ſermonem, graviſſimâque PRINCIPALI SUA exhortatione animum meum ad capeſſenda alacriùs ſtudia permovere, & quo minus de tantâ PRINCIPIS, DOMINI MEI CLEMENTISSIMI, gratiâ, dubitandi locus mihi relinqueretur, iteratâ vice, Principe digno munere afficere; non ſuſtineo impræſentiarum incredibilem Parenti meo piæ memoriæ exhibitam, aut toti familiæ noſtræ, REVERENDISSIMAE & EMINENTISSIMAE CELSITUDINI VESTRAE, ſubjectiſſimæ, oblatam & re ipsâ ſæpè redditam enarrare gratiam; me ſaltem ut ſubjectiſſimum & obſequioſiſſimum ſiſtere ſervum ſufficiat, quò REVERENDISSIMA & EMINENTISSIMA CELSITUDO

VESTRA ex pagellis hiſce præſentibus, quanti efficaciſſimam ILLIUS in totâ vitâ meâ Academicâ exhortationem fecerim, cognoſcat: Illas itaque in eam GRATIAM, quâ Parentem meum p.m. amplexa, admittat, illamque mihi, familiæque noſtræ perpetuam eſſe velit, devotiſſimâ mente oro rogoque; Finio ſi prius REVERENDISSIMÆ & EMINENTISSIMÆ CELSITUDINIS VESTRÆ pedibus calami hujus palmas ſubſtravero, & ardentiſſimis precibus DEUM TER OPT. MAX. invocavero, ut CELSISSIMI NOMINIS Veſtri ad Cœlum ſurgentis gloria ſeculum non unum vincat.

REVERENDISSIMÆ & EMINENTISSIMÆ
CELSITUDINIS VESTRÆ

Subjectiſſimus

Joh. Daniel Herpſer.

DEO ADJUTORE.

POSITIO I.

NOn irritâ felicioris successus spe agitari videbor, si rubricæ seu præfixi tituli explicationem, rei propositæ vim aperientem, initio aggressus fuero, cum tanta *rubri* celebretur authoritas, ut *nigrum ab ipso rubro interpretationem recipere* tradat magnus fori antistes Gailius *de Pignorat, cap. 4, num. 2. & 3.* cui adde *Everhard. in top. legal. loco à rubro num 2. 3. & per totum.* Paucis itaque quid hâc rubricâ de Jure concedendi veniam ætatis, velim, agam.

II.

Juris vox cum plura juxta *l, 11. D. de Iustit. & & Iur.* notet, eâ impræsentiarum pro potestate usus sum; quo in significatu JurisConsultus Pomponius *l. 2 §. 16. D. de Origin. Iur.* eam adduxit, eodemque in sensu accepit Cajus (quem Sacratissimus Imperator Justinianus *§. 6. Proœm. Instit.* suum dicit) *l, 3. D. de his qui sui vel alien. jur.* & insuper ita vocem hanc usurpari arguit modo dicta rubrica *Instit. & Pandect. de his qui sui vel alien. jur.* hinc toties audis jus testandi, tutores dandi, agendi, faciendi, &c. quæ potestatem indicant, vide accuratè hæc docentem Magnificum

gnificum Dominum Facultatis Juridicæ Seniorem & Doctorem Rebhan, Præceptorem meum omni honoris cultu devenerandum *in Hodeget. Chart. II. clim. 1. Parallel. 1. th. 8. in ἐκθεσ. lit. a.*

III.

Concedere idem est ac indulgere, largiri, dare, tribuere, opere ipso permittere. Venia denotat vel judicis adversus edictum permissionem. *l. 25.* ibi: *venia impetrata D. de in jus vocando.* vel culpæ remissionem, ut *in l. 1. D. de fugitivis*: vel Ætatis excusationem: *tot. tit. C. qui ætat. vel profess. se excusant*: vel denique ætatis majorennis indulgentiam. *tot. tit. C. de his qui veniam ætatis impetraverunt*, quæ inscriptionis meæ significatio est.

IV.

AEtatis vocabulum ab ovo & principiis suis arcessam necesse est: dicitur autem ætas quasi ævitas ab ævo, quod à Græco *αἰών*, traxere latini, testibus Apulejo Grammatico, & Joanne Tortellio in Commentariis suis Grammat. hâc scil. ratione, quod ætas semper existet atque duret: Græci enim *αἰών* quasi *ἀεὶ ὤν*, id est, semper existens, dicunt, hinc *αἰών* ipsis est vita longissima, quam seculum vocamus, de quo Conan. *libr. 1. commentar. jur. civil. cap. 10. num. 6.* ab ævo deinde ævitatem veteres dixisse ex libro tertio Ciceronis de legibus nobis constat: Censores populi ait, ævitates, soboles, familias, pecuniasque censento, vide hâc de re Cujac. *in l. 46. D. de judic.* & Gotofr. *in not. ad XII. tab. eodem tit.*

V.

Nomen hoc cum sit generale, ad personas, res & tempora

tempora pertinens, & illud quidem multiplex ob varias ejus species; Alia enim est ætas I. pupillaris, *l.9. D. de adquirend vel omittend. hered.* quò referuntur 1. Infantes. 2. Infantiæ proximi. 3. Pubertati proximi: de quibus latè Menoch. *de arbitrar. judic. quæst. lib. 2. cent. 1. cas. 57. num.* 44. Coras. 6. *misc* 33. alia II. Minor *l. 42. D. de minorib.* & in ea 1. Adolescentia. 2. Firmata ætas, *l. 1. C. Theodos. de iis, qui veniam ætat. impetr.* alia III. Major, quæ & perfecta; *l. fin. C de his qui veniam ætat.* Justa, *l. 16. D. de jure fisci.* Alia denique IV. Senilis, *l. 69. in fin. de legat. 3.* Nos hoc loco id pro ætate personarum, eâque tàm firmatâ, quæ in mare est ab anno 20. in fœmina ab anno 18. quâ ex venia Principis ante annum 25. rerum suarum administratio minoribus permittitur: quàm perfectâ seu majori, cujus veniam prædicti impetrant, accipimus.

VI.

Ex quibus, quid jus concedendi veniam ætatis sit, patet: *Potestas*, nimirum, *quâ is, qui re vera minor est, per Majestatem major declarari potest.* Quando autem reipsâ minor declaratur major, non malè *per actum definiveris*, & tunc varia sortitur nomina. Modò enim ætatis vocatur indulgentia, codicillus venialis, teste Fornerio ad Cassiodor. epist. 41. libr. VII. in not. (B.) modò veniale ætatis diploma secundum Choppin. *de moribus Paris. libr. 2. tit. 3. num. 3.* item annorum adjudicatio. Lipskius à Lipe Episc. Cracov. *cent. 2. observat. jur. 10. num. 6.* Jus ætatis legitimæ, Bocer. *de Regal. cap. 2. num. 131.* etiam eine Kayserliche Gönnung/ oder eine Kayserliche Befreyung. Limnæ. *in Iur. publ. tom. 4. libr. 2. cap. 9.*

VII.

Jus hoc ætatis veniam concedendi, vel ætatem indulgendi aut annos adjudicandi, prout enim nominaveris, perinde mihi erit, soli Romano Populo, penes quem tunc temporis summa rerum residebat potestas, competiit, unde Scipio, sat annorum, si populus Romanus volet, habebo: Gœdd. *ad l. 21 num. 20. D. de V. S.* Mutatâ verò Reipublicæ formâ, populus omnia sua in Imperatorem per legem Regiam transferendo etiam hanc potestatem Principis propriam fecit: undè Principali clementiæ, *l.* 1. Imperiali auxilio, *l. 2. C. de his qui veniam ætat. impetr.* Principis beneficio, *l. 5. C. de temporibus in integr. restit.* acceptum fertur; In cæteris enim Magistratibus, veluti Consulibus & Præsidibus ambitiosa hæc esse decreta, dicebant, prout *ex l. 3. D. de Minor.* patet; ambitiosa pro gratiosis ibi accipe, *l. 4, D. de Decret. ab ordin. faciend.*

VIII.

Dum jus hoc Imperatori seu Principi Romano proprium dicimus, non exteris vel Principibus, vel civitatibus superiorem non recognoscentibus, neque ipsis Imperii nostri Statibus denegatum volumus. Sic Galliæ jus hoc cognitum esse, & quidem ita, ut solus sibi Rex vindicet, evincunt ea, quæ notat Petrus Rebuff. *tract. de regest. seu libr. Baptism. art. 1. Gloss. 1. num. 27.* Nulla Cancellaria, sed solus Princeps supremus, literas legitimam ætatem indulgentes concedit, & Francisc. Duar. *ad tit. Cod. de his qui veniam ætat. impetr.* veniale ætatis diploma, regio nomine concipi attestatur.

IX. Eo-

IX.

Eodem modo jure hoc Belgas uti Peretius *in C. h. t. num.3.* indicat, quando tantùm à Principe impetrari ait, & licet Mornacius *ad l. 2. C. h. t.* moribus Belgicis etiam judicem pro tribunali sedentem ætatis veniam indulgere affirmet, intelligendum hoc omninò erit, aut de judice superiori, aut eo, cui jus hoc concedendi ex speciali Principis permissione competit. Quin enim Princeps inferiori, immò planè privatæ personæ ex gratiâ singulari ob egregia & præclara in eum merita hoc jus concedere possit, non arbitror quenquam dubitare; Nam & Bartolus (cujus opiniones Apollinis oracula dictæ, Magirus in theatro gloriæ) *in tract. de testibus* de semetipso refert, *Imperatorem Carolum IV. eum, ejusve descendentes (quoscunque legum Doctores esse contigerit) inter plura privilegia & illo ornâsse, ut per universum Romanum Imperium servatâ legibus perscriptâ formâ, ætatis veniam cuicunque concedere valeat.*

X.

Non secus in Hollandiâ, confœderatorum Statuum Provinciâ, jus hoc vigere, ut inibi ætatis indulgentia ab ordinibus impetranda, singulari præjudicio confirmat Jacob von der Graef *de Regalib. cap.19. n.1. Anno 1637. die 27. Novemb.* Titius quidam ætatis veniam ab urbis cujusdam Magistratu petens, informabatur, quod concessio hæc summæ sit potestatis, ab ipsis itaque Ordinibus eam petendam & obtinendam fore.

XI.

Plus negotii nobis facessere videtur, quod & Imperii nostri Statibus jus hoc competere supra asseruimus,

mus, nunc repetimus, imò defensum imus vi superioritatis territorialis, quæ altius repetenda, translato ad Germanos Imperio, Magistratus ad certum tempus, vel ad vitæ terminum certis assignatis stipendiis & salariis constituebantur; Posteà autem sub fide vasallitica hereditariè de Provinciis, quibus præerant, investiri cœperunt, unde amplissima illa territorialia jura orta sunt, Knichen *de jure territor. c.1. num.12. & seqq.* Ernest. Cothman. 4. *consf.3. num.3.* Nam omnia fermè, quæ Imperii status habent, per infeudationem acquisivêre. Reichs Absch. *de Anno* 1521. Ordnung deß Landfriedens/ *sub tit.* Handhabung des Friedens. §. Darauff befehlen/ *xc.* ibi: auch bey Verlust aller Gnaden/ Privilegien und Rechten/ so ihr von Uns und dem H. Reich habt. Quoad territorium enim & subditos cum Regalibus (utique etiam de jure concedendi veniam ætatis) investiti sunt: Besold. *Dissp. de Regalib. cap. 3. th. 5.* Knipschild. *de Civit. Imperial. liber. lib.2. cap.4. num.54.* quod etiam ex omnibus investiturarum formulis constat; illosque in suis districtibus regalia usurpare, die hohe Landsherrliche Gerechtigkeit mit allen ihren Würden / Freyheiten/ Nutzen und Zugehörungen/ notat Reinking. *de Regim. Secul. & Ecclesiast. libr. 1. class.5. cap.6. num. 23.* & hoc est, quod Andreas Knichen *de jure territor. cap.1. num.176.* dicit, coruscare in suis territoriis præeminentiis Imperatori concessis; hinc leges & jura de Imperatore loquentia Statibus accommodantur: Rutger. Ruland. *in Tract. de Commissar. & commission. part.2. lib.5. cap.4. num.25.* Sic, licet leges condere Majestatis sit symbolum, *l. fin. C. de legib.* Imperii tamen Statibus jus est, leges & jura provincialia promulgare, contra-

ria

ria abrogare, & jura communia inconſulto etiam Imperatore tollere, uti refert Knichen. *dict. tract. de jure territor. c.1. num.* 139. Reinking. *modò dict. loc. num.* 9. eamque mutandi juris poſitivi poteſtatem à Statibus Imperii in ſuis diſtrictibus per Statutorum promulgationem quotidiè exerceri, obſervat Gail. *lib.* 1. *obſerv.* 36. *n.*1. Sic Electorum Saxonici, Brandeburgici & Palatini Conſtitutiones provinciales juri communi contrarias eſſe manifeſtum eſt; & hæc ita procedunt, ut Camera, quæ eſt ſummi Principis conſiſtorium, ſecundum leges & ſtatuta provincialia pronuntiare, teneatur Reinking. *dict. libr.*1. *claſſ.* 5. *cap.*6. *num.*10.

XII.

Hiſce conſideratis nihil obſtare video, quò minùs Imp. Statib. jus & poteſtatem ſupplendi ætatē minorennem in ſuo territorio inter ſubditos permiſſam affirmemus, cum magni nominis & eruditionis Juriſconſulto Dn. Struv. *in Syntagm. jur. feudal. cap.* 6. *th.*14. *in notis num.*2. Dn. Myller. *in Etologia Ordinum Imperial. cap.* 2. *num.*1. Paul. Montan. *de Tutel. cap.*37. *Reg.* 2. *num.* 48. *pag. m.* 828. ubi dicit, quod Duces & Comites cum Domini conſtituantur, reſervata Principi exercere poſſint, ſecundum Caſtrenſ. *conſil.*227. *ſuper primo dubio in fine:* quod de Regalibus intelligendum cenſeo, quis enim credat Regiam aut Principalem dignitatem, Baronem conferre poſſe, vid. Bullæ *in quaſt. quibus compet. jus nobilitat. pag.*36. Cothmann. *conſil.* 44. *num.*21. *vol.* 1. Ita in Ducatu Würtenbergico Sereniſſimum vi juris territorialis ſubditis ſuis ætatis veniam largiri, & minores pro majoribus declarare docet Fürſtl. Würtemb. Landes Recht. *part.* 2. *tit.* 27. *fol.* 314. Dn. Myller. *in Etolog. ord. Imperial. cap.* 2. *num.* 8. *in fine.*

XIII.

Voce Statuum Imperii, Imperiales quoque Civitates intellectas volumus, *Instrumento Pacis Cæsareo-Svecic. art. 5. §. 28.* quia & hæ, dum immediatè sub Imperatore & Imperio, Imperiique matriculæ insertæ, votum & sessionem in Comitiis habent, ac Imperio urgentibus fatis contribuunt, per ea, quæ tradit Gail. 1. *observat.* 21. Cothman. *consil.* 29. *num.* 527. *vol.* 3. inter Imperii Status receptæ. Gaudent enim in suis districtibus Principis jure. Gail. 2. *observ.* 57. *num.* 7. ubi dicit, tantum posse civitatem liberam in suo populo, quantum Imperator in Imperio, vide Thom. Michaël. *de Iurisd. conclus.* 44. *lit. G.* Non minus enim Imperio incorporatæ sunt, quàm Principes & Comites. Rutg. Ruland. *in Tract. de Commissar. & commission. lib. 5. part. 2. c. 4. sub num. 38. colum. 1. circ. fin.* & licet dignitate vel ordine dispari, pari tamen cum his passu ambulant. Cothman. *consil.* 29. *num.* 523. *& mult. seqq. volum.* 3. Et quidni? si enim per statuta ipsis licet, uti in specie hâc de re verba Statuti Argentinensis affero. Wann ein Kind / es seye Knab oder Tochter / zwantzig Jahr alt ist / von dem Tag an / so es gebohren wird / und seinen Verstandt hat / soll und mag es wol sein selbst Vogt seyn / über sein Gut / und mag handeln damit wie es will: multò magis per dispensationem hoc jus ipsis competit: Quicquid enim statuto introduci potest, illud faciliori ratione per dispensationem indulgetur, jus enim statuti ligat omnes, id est, universum illius territorii populum; dispensatio autem unius tantùm favorem & commodum respicit: ad partis enim petitionem conceditur, Bertazol. *in*

consil.

consil. civil. 12. *num.* 27. Thesaur. *decis.* 87. Inprimis cum venia ætatis minoris naturam dispensationis & gratiæ habeat, secundum Menoch. *consil.* 478. *num.* 1. imò statutum si minorem habilitat, censetur generalis veniæ ætatis concessio, uti observavit ex Decii *consil.* 403. *num.* 2. Paul. Montan. *de Tutel. cap.* 37. *num.* 47. *pag.* 828.

XIV.

Nunc sese nobis offert quæstio de Imperii Provisore aut Vicario, num interregni tempore immediatè Imperio subjectis hanc ætatis veniam concedere possit? Item an locum tenens v. c. Comitis alicujus, & illustris personæ in minori ætate constitutæ Curator hâc potestate gaudeat? Sanè Imperii Vicario jus hoc, licet non expresè, tacitè tamen *caput aurea Bulla V. Caroli IV.* concedere videtur; eo ipso enim, quod eum Imperii Provisorem, einen Verweser oder Pfleger des Reichs/ & quidem Generalem constituit, privileg. *Caroli IV. Anno* 1375. desuper datum, ibi: daß sie gemeine Vicarien des Reichs gewesen seyn/ und noch seyn sollen/ eo ipso, inquam, potestatem hanc nacti sunt, duo enim *in dicto capite V.* tantùm habentur casus excepti: ibi, feudis Principum duntaxat exceptis, & illis, quæ Fahn-Lehen vulgariter appellantur, quorum investituram & collationem soli Imperatori vel Regi Romanorum specialiter reservamus, hæc profectò regulam in casibus non exceptis firmant, quod nempè reliqua non prohibita, concessa sint; omnis enim exceptio debet esse de regula, quia impossibile est, sine regulâ exceptionem dari. *l.* 1. *D. de R. I. ibi Dd.* adde quod & regula restricta sit ad jura gratiosa, non

ad ea,

ad ea, quæ alienationem continent. ibi: ipse Comes Palatinus omne genus alienationis expressè sibi noverit interdictum, ubi observandum, quod perperam in germanico contextu ejusdem Bullæ traductum sit: Vnd derselbe Pfaltzgraff hat auß Käiserlicher Güthe zu verbieten/ alle Vereysserung und Verpfändung 2c. cum sensus sit, daß dem Pfaltzgrafen bey zeit seiner Verwesung/ alle Vereysserung und Verpfändung der Güter/ so zum Reich gehören/ solle verbotten seyn. Bets. *de Pact. famil. Illustr. cap. 7. pag.* 223. ex quo sanè concludendum, quod ea, quæ alienationem non continent, & specialiter prohibita non sunt, possit: hanc opinionem validiorem, quia consuetudine optimâ legum interprete, *l.* 37. *D. de legib.* firmata, dicit Sinold. Schütz. *de Iure publ. vol.* 1. *disp.* 5. *th.* 12. *lit. B.* Ita enim in vicariatu 1619. Comes Palatinus Doctorem D. W. equestri dignitate ornâsse, & civi F. inducias moratorias vulgò quinquenell concessisse, quod tamen de reservatis Principis est Policey-Ordnung de Anno 1548. tit. Von verdorbenen Kauffleuthen / §. Vnd nach dem 2c. testis est id. Sinold. Schütz *eod. loc. pag.* 238.

XV.

De locum tenente, v. gr. Comitis alicujus, & illustris personæ in minori ætate constitutæ curatore, idem affirmandum censeo: Quia locum tenens & ejusmodi illustris personæ curator regulariter omnia ea potest, quæ ipse, cujus vices gerit, per text: *in l.* 1. *C. de offic. vicar. l.* 2. *C. de offic. ejus, qui vicem alicujus judic. vel præsid. obtinet.* A Egid. Brossius *in opere Tit. de Principe. num.* 87. Rosenthal. *de feud. cap.* 9. *conclus.* 30. *membro* 1. *num.* 8. ubi limitat, nisi specialiter quædam sint excepta, exceptiones autem veniunt vel verborum

expressi-

expreſſione, vel ex naturâ negotii, ne ea faciat, quæ quis veriſimiliter non eſt conceſſurus, *argum. l. 6. D. de pignor. & hypoth. l. 7. pr. D. de donat.* quod latè deducit Iſern. *de feudis. tit. de prohibit. feud. alienat. num.* 12. & 13. ita in ſpecie ſtatuit Schrader. Martha, Matthias Stephan. aliique, & generaliter plurimi legendo, conſulendo, decidendo, allegati à Buxtorff. *ad cap. V. Aur. Bull. concl.* 71.

XVI.

Hactenus vidimus quale jus dandæ ætatis veniæ, & quibus illud cõpetat, ſequitur ut conſideremus quibus illa concedi ſoleat. Etſi a. fragile & infirmũ eſt minorũ conſilium, multis captionibus ſuppoſitũ, multorumq; expoſitum inſidiis: *l. 1. pr. D. de minorib.* adeò ut etiam jure noviſſimo inviti minores curatores accipere cogantur; *Reformat.* guter Policey zu Augſpurg. *de An.* 1548. & *de Anno* 1577. *ſub tit.* Von der Pupillen und minder-jährigen Kindern Tutorn und Vormündern. *in princip. verſic.* So wollen wir ꝛc. Wiſſenb. *ad tit. D. Qui pet. tut. vel cur. & ubi pet. num.* 22. attamen cum ſæpè juvenes rerum gerendarum prudentia multùm ſenibus etiam antecellant, Imperator & Imperii Status ad ejuſmodi minorum ſupplicationem, modò certa requiſita, de quibus paulò poſt, probent, *l. 2. C. de his, qui veniam ætat. imp.* ſine ſexus aut conditionis diſcrimine, ætatis hanc veniam illis impertiunt: Non enim maſculis tantùm, ſed & fœminis hanc ætatis veniam tribui, monſtrat *d. l. 2.* ibi: *Fœminas quoque:* Nec plebeis aut vulgaribus perſonis ſolùm, prout Mornac. in *obſervat. ad libr. C. in l. 2. de his, qui veniam ætat. impetr.* notavit, verùm etiam inſignioribus, hoc eſt, ſumma in dignitate poſitis, qui eò citiùs conſilii & prudentiæ maturitatem produnt, quò major cura educationi illorum impendi ſolet.

XVII.

Ita Imperator Wenceslaus in anno 1398. Ottoni Duci Brunſvicenſi, Ottonis filio, ætatis veniam hiſce formalibus conceſſit: Wir haben dem Hochgebohrnen Otten / Hertzogen zu Braunſchweig / Vnſerm lieben Oheim und Fürſten / die Jahr gegeben / alſo daß er mündig ſeyn / und ſeine Hertzogthumb und Lande ſelbſt verweſen / Jhme ſelber Räthe kieſen und Helffer nehmen ſoll und mag. Braunſchweigiſche Hiſtoriſche Händel *part.1. ſect.2. c.1.* referente Anton. Hering. *de Fidejuſſoribus cap.7. num.* 109. A Cæſare etiam Maximiliano I. Anno 1503. Udalrico Duci Würtenbergico, ætatis privilegium datum fuiſſe, teſtatur Hortleder. *de cauſ. belli Germ. libr. 3. c. 1. num.64.* Pari modo ab Imperatore Rudolpho II. circa annum 1588. Carolus Lotharingiæ Dux & Cardinalis, poſtulatus Epiſcopus Metenſis, ad inveſtituram & adminiſtrationem ejuſdem Epiſcopatus conſequendam, Pragæ ætatis veniam impetravit. Thom. Michaël. *de juriſdict. th.32. lit. c.* Bets. *de Pact. famil. illuſtr. cap.7. p.276.* Add. Speidel. *in Annotat. ad Rumelin. part. 1. diſſert. ad A. B. 7. th.10. lit. a.* Similiter à Gallorum Rege veniam ætatis conſecutus eſt Dux de Rohan. Ann. 1584. & ViceComes Turonenſis anno 1543. Limnæ. *in Tr. de Regno Galliæ lib. 2. cap. 7. in addit. ad lit. H. pag. 492.* Malè itaque Bugnonius de legibus abrogatis: titulum hunc, *de his, qui veniam ætatis impetraverunt*, abrogatum, cenſet Peret. *in C. ad hunc tit. num. 3.*

XVIII.

Non autem paſſim & ſine diſcretione Princeps omnibus, qui pro ætatis veniâ impetrandâ ſupplicant, eam

eam concedit, sed prævia & exactâ causæ cognitione, iis solummodò, qui bonæ de se opinionis spem præbent. Claud. *tract. de Offic. jud. cap.* 3. *num.* 14. quem refert Roland. à Valle *consil.* 7. *num.* 95. *libr.* 3. Quod equidem non sine summâ ratione fit; ne enim minores pro beneficio, patrimonii detrimentum ac diminutionem patiantur, satius credidit Severus Cæsar, non nisi rarò *l.* 3. *D. de minorib.* & quidem antehabitâ in vitam & mores minoris inquisitione Constantinus *in l.* 2. *C. h. t.* præcoci sapientiæ fidem adhiberi. Undè in Regno Poloniæ Regia' Majestas non priùs ætatis veniam & privilegium, nisi viso priùs adolescente, indulgere solet, attestante Andr. Lipskio *dict. observ.* 10. *num.* 7. *cent.* 2. Comperto itaque ex inquisitione & adspectu, esse quem ita moribus, ingenio, prudentiâ, & rerum agendarum promptitudine & scientiâ præditum, ut ipsemet pro bono publico (cujus interest, ne quis re suâ malè utatur, *§. fin. Inst, de his, qui sui vel alien. jur. sunt*) rebus suis præesse queat; rectè atque ordine minor major declarari poterit. Cæterùm ex Jure Justinianéo Bocer. *de Regalib. cap.* 2. *n.* 133. quinque requisita recenset, quæ breviter, additis dubiis vel quæstionibus, singula examinabo, tantò magis, quòd vel unius defectu venia ætatis concedi nequeat, *per l.* 2. *§. fin. C. h. t.*

XIX.

Observet itaque minor, ætatis veniam desiderans (1) à Principali Clementiâ, i. e. ab ipso Imperatore, si immediatè Imperio Romano Germanico subjectus; si autem mediatè, vel ab Imperatore, vel ab eo, qui summâ in eo, quo degit territorio, potestate

 gaudet,

gaudet, id est, ab ipso Duce, Principe, Comite &c, non ab ejus judiciis inferioribus, eam petat, *argum. l.1. & 2. C.h.t.* De fictione siquidem hic agitur, ut pro legitimæ & perfectæ ætatis homine, qui revera talis non est, habeatur; Proinde nonnisi à Principe illa venia obtineri potest; solius namque Principis est fictiones, quatenus naturalis æquitas & bonum publicum suadet, inducere. Verum cùm à Principe petenda sit hæc venia, & causæ cognitionem requirat, ut paulò ante dixi, utique simplicem petitionem non sufficere, *l.10. §. 12. ubi Gl. D. de in jus vocand.* sed supplicationem cum allegatione causæ porrigendam esse censeo, *arg. l. fin. C. de precib. Imperator. offerend.*

XX.

(2) Omissis superfluis & non necessariis, *d. l. fin.* AEtatis faciat mentionem, & quidem, si masculus, quòd vicesimi anni metas impleverit, seu, ut loquitur Imperator Constantinus *in l. unic. C. Theodos.* cum vicesimi anni clausa ætas adolescentiæ, patefacere sibi januam cœperit ad firmissimæ juventutis ingressum: sin fœmina, quòd octavum & decimum annum egressa sit, ex quibus facilè evincimus, completos esse oportere, non inceptos annos, *l.2. C. h. t.* Bartol. Bertazoll, *consil. civil. 12. num. 20.* Ratio quæ Constantinum Imperatorem moverit, ut vigesimo ætatis anno masculos veniam impetrare voluerit, hanc credo, quia media hæc est inter plenam adolescentiam & robustissimam juventutem, ætas, quam firmatam ob id appellat, *in l. unic. C. Theodos. h. t.* adde Gothofred. *ad l. 2. C. h. t. lit. a.*

XXI.

Cur autem fœminæ duobus integris annis citiùs masculis veniam hanc impetrent, celeriori cursui muliebris prudentiæ adscribunt, ut videre licet apud Bets. *de pact. & statut. famil. illustr. cap. 7. p. 273. in med.* Addatur Gloss. & Accursius *in l. 5. D. qui testam. facere possunt, in verb. completum.* non quod prudentiores sint, inquit, sed quod mala herba celerius & plus crescat quàm bona: ratio profectò non absimilis illius Petri antiqui Glossatoris, qui Br. docente *in l. 1. D. de Iurisdict.* Ulpianum ideò dixisse statuit, *Ius dicentis officium esse latissimum, & non longissimum, quia homines longi rarò sunt sapientes*; Tantis viris certè indignæ rationes! palmam sanè prior ex Betsio adducta ratio præripere mihi videtur, quod naturâ fœminæ citiùs augeantur, crescant ac perficiantur quàm mares. Plutarch. *in problem.* hinc duobus etiam annis citiùs maribus puberes fiunt: *pr. Inst. quib. mod. tut. finitur.*

XXII.

Annorum hic numerus cum lege expressè sit definitus, & pro formâ actus constitutus, certi enim juris est, quod tempus alicui rei aut dispositioni præfixum pro formâ præscriptum censeatur; per text. *in l. 13. § 4. D. de excusat. tut.* Mascard, *de statut. conclus. 9. num. 10.* Molin, *ad consuetud. Paris. tit. 1. §. 201. gloss. 10. num. 6.* meritò dubitas, an Princeps Imperii aliquando infra hunc annorum numerum, puta masculo anno 18. ætatis veniam largiri possit? Affirmantium ego opinioni subscribendum duco. Est enim totum hoc positivi juris; nec aliquam video causam ex jure gentium petitam, ob quam anno vicesimo de-

mum venia concedenda, ſic ſeptenarius teſtium numerus in teſtamento pro formâ ſubſtantiali requiritur, *l.* 12. *C. de teſtam.* aſt cum meri juris poſitivi ſit, hodiè in variis locis vel auctum, ut Baſileæ, vel diminutum, ut Noribergæ vides; ea enim quæ meri juris poſitivi ſunt, quin Principes & Status Imperii in ſuo territorio mutare poſſint, vel in contrarium ſtatuendo, vel contra diſpenſando expeditum eſt per ea quæ ſupra ex Knichen. *de jure territor. cap.* 1. *num.* 139. Gail, 1. *obſervat.* 36. *num.* 9. adduxi.

XXIII.

Opinionem hanc infra ordinarium annorum numerum conceſſa ætatis veniæ exempla confirmant. Nam Imperator Rudolphus II. Regi Daniæ Chriſtiano IV. ut Holſatiæ Duci veniam ætatis annum 16. vix egreſſo ob regias dotes & virtutes maturè in eo elucentes die 26. April. Anno Chriſti 1593. indulſit. Hering. *de fidejuſſorib. cap.* 7. *num.* 110. Longè antè, à Maximiliano I. Ludovicus Rex Hungariæ ac Bohemiæ ætatis veniam annos ſolummodò natus tredecim impetraverat, prout ex Dubrav. *in hiſtor. Bohem. lib.* 33. & Goldaſt. *in tract. de Regno Bohemiæ lib.* 4. *c.* 1. *num.* 6. notavit Limnæus *de Iure Publ. lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 150. Et Carolus IV. Imperator veniam ætatis Carolo VI. delphino, Vicario Imperii, ob miram ingenii maturitatem, & ſummam judicii acrimoniam, decimum ætatis annum agenti, veniam hanc tribuit, prout ex Bodin. *de Republic. lib.* 2. *cap.* 9. notat idem Limn. *tom.* 4. *Iuriſpubl. lib.* 2. *cap.* 9. *in addit. ad num.* 151. Quod jus Imperatoris rectè juxta ſupra tradita Th. XI. ad Imperii Principes & Status extendimus. vide Ruland. *de Commiſſar. & Commiſſionib. part.* 2. *lib.* 5. *cap.* 4. *n.* 51.

XXIV.

XXIV.

Hic alia ſeſe in facto ſæpè diſputata, offert quæſtio: An Imperator quemadmodum pro lubitu in veniæ conceſſione annos lege definitos mutare poteſt, æquè poſſit largiri, ut ante annum decimum octavum Elector, Imperii, ſeu adminiſtrationis capax ſit? Negativa mihi verior videtur, ex eâ ratione, quod numerus hic 18. annorum non à ſolo Imperatore, ſed & ab Imperii Statibus definitus ſit; quibus ergò diſſentientibus aut ignaris, ſolum Imperatorem mutare poſſe haud credo, *arg. l. 35. D. de R. I.* Illis verò conſentibus nil dubii reſtare puto, ſi modò ille, de cujus ætate agitur, morum & rerum gerendarum prudentiâ ſe commendet. Add. Rumelin. *diſſertat. ad A. B. part. 1. diſſert. 7 th. 8.*

XXV.

Neque verò ſola ætatis mentio ſufficit, ſed (3) morum honeſtas, animi probitas, & mentis ſolertia, *l. 2. C. h. t.* quoque requiritur: Bocer. *de Regal. cap. 2. n. 133.* & hoc eſt quod ſupra diximus, non paſſim & ſine diſcretione à Principe hujuſmodi ætatis veniam concedi, ne propter malitiam, ſed virtutis laudem ætatis beneficium reportâſſe cernantur: prædictæ autem hæ qualitates, non tantùm maſculos, *l. 2. C. h. t.* ſed & fœminas commendare debent, *d. l. 2. §. 1. ibi: Fæminas quoq; quas morum honeſtas, mentiſque ſolertia &c.*

XXVI.

Et prout in mare XX. in fœmina XVIII annorum ætas, in utroque morum honeſtas, animi probitas, & mentis ſolertia requiritur, ita quoque (4) ab utroque & ætas & morum honeſtas &c. probari debet; quilibet

bet enim veritatem causæ in literis supplicatoriis assertam, probare tenetur, *l. un. C. qui ætate.* quia non ejus ætatis aut frugis quis esse præsumitur, ut res suas majorum instar negotiando, contrahendo, litigando &c. administrare possit, *l. 1. pr. D. de Minorib.*

XXVII.

Hæc autem probatio exigitur coram judice, non Principe, qui ob negotiorum multitudinem testium auscultationi vacare non potest: Unde licet annorum numerus, mentis solertia & morũ honestas &c. in supplicatione veniam desiderantis alleganda sint, tamen ut coram Imperatore probentur, ex dictâ ratione necessum non est: *l. 2. h. t.* Solet enim Princeps ad gloriosam minoris supplicationem, prout eam Cassiodor, *lib. 2. variar.* vocat, sine ullâ examinatione veniam, hâc tamen conditione, concedere, si veritate Preces nitantur, *d. l. 2. C. h. t.* ibi: post impetratam ætatis veniam: Quare totam causæ cognitionem si supplicans Senator sit, remittit ad Præfectum Prætorio, si autem Plebejus ad Prætorem, vel si in Provincia habitet, ad illius Rectorem, ut ibi literas indulgentiæ obtentas offerat, præsentet ac intimet per *l. hanc. 2. §. 2.* quo facto judex curare debet, ut ea, quæ in rescripto allegantur, accuratè supplicans probet: hodie autem, si ab ipso Imperatore minor mediatè Imperio subjectus hanc veniam petit, annos & mores apud Principem suum vel Comitem, vel Baronem, vel in Civitatibus liberis apud Consulem probat, Bocer. *de Regal. c. 7. n. 133.* Rebuff. *de regest, art. 1. gl. 1. n. 32.* hasce solennitates hodie non ita strictè observandas putat, sed Principem ad solam petitionem & supplicationem impetrantis, etiã eo non viso, nec ad inferiorem remisso, veniam concedere

cedere poſſe, quæ ſuo authori relinquo. Beſold. verò *in delibat. jur. p. 78. in fin.* ſe ſcire, inquit, hodiernis moribus ſufficere, ut cum eo, qui veniæ ætatis conceſſionẽ implorat, curatores proximiq; agnati ſimul preces deferant, atque de petentis ætate animique probitate teſtificentur: uti factum à Domina Tutrice & Matre, nec non contutoribus & agnatis Dni. Ludovici Eberhardi Comitis zu Hohenlohe/ Herrn zu Langenberg/ ꝛc. qui pro ipſo ætatis veniam & petierunt & impetrârunt ab Imperatore Rudolpho II: Anno 1607. Limn. *de Iure publ, tom. 4. lib. 2. c. 9. in addit. ad num.* 151.

XXVIII.

Ad ipſam ætatis & morum probationem nunc accedo, ubi notandum, quod Imperator maſculum per ſcripturam annorum numerum probare jubeat, & ita veram non præſumptivam probationem requirat. Gratian. *in conſil.* 42. *n.* 24. *lib.* 1. Per ſcripturam autem teſtimonium ex parochiali libro deſcriptum, ſignificari puto, quem probandi modum ſatis aptum dicit Baldus *conſ.* 452. *lib.* 4 & Benint. *deciſ.* 47. *n.* 1. cui ſuffragatur Oddus *de reſtit. in integr. part.* 1. *quæſt.* 37. *art.* 4. *n.* 44. quia intra paucos à nativitate dies pueri baptizantur: annorum hanc probationem in Galliâ teſtibus fieri, & quidem à conſanguineis, in conceſſione veniæ ætatis per Regem Galliæ factâ Domino de Rohan (de quo ſupra) notat Rebuff. *de regeſt. art.* 1. *gl.* 1. *n.* 130. tunc temporis depoſuiſſe Archiepiſcopum Lugdunenſem ejus Patruum, & alios quam plures nobiles & magnos receptæque authoritatis viros. Tantum de annorum probatione.

XXIX.

Animi verò probitatem & vitæ honeſtioris teſtimonium advocatis teſtibus idoneis, id eſt, fide dignis,

probare tenentur, *l. 2. h. t.* Quia autem numerus testiũ non est additus, duo vel tres sufficiunt. Nam quotiescunq; numerus testium non adjicitur, duo sufficiunt, pluralis enim elocutio duorum numero contenta est: *l. 12. D. de testib.* Sicuti autem in testamentis testes non fortuiti sed rogati desiderantur, *l. 21. §. 2 D. de testam.* ita necesse est, ut testes ad hunc actum expresse rogentur, *l. hâc nostrâ. 2. ibi: testibus idoneis advocatis.*

XXX.

Et hæc in maribus statuta sunt; fœminæ, misso procuratore, quia contra sexus muliebris decorum est cœtui publico eas demonstrari, *l. 2. hâc nostrâ. item l. 2. §. 1. C. de jurejur. propt. calum.* AEtatem, prudentiam & mores vel instrumentis, vel testibus, non minoribus tamen quinq; probare debent, cujus rei ratio hæc esse potest, quia in propriâ personâ judici se non sistunt, & ita adspectum, qui ætatis, morum & prudentiæ judicium juvare solet, non præbent, ut quod illô deest, testium numero compensetur. Petr. Rebuff. *sæpè dict. tract. de regest. art. 1. Gloss. 1. n. 32.* sufficere fœminas saltem ætatem, non etiam morum honestatem probare asserit, Verba ejus adponere visum est: *Sufficit eis*, inquit, *probare ætatem, & non adstringuntur probare morum honestatem, eo, (ut quidam dicunt) quia rarò admodum hoc probare possent, Gloss. in l. 4. D. de legib. Sunt enim pleraque redhibitoriæ, vel quia bonus Imperator Constantinus non vult inducere testes ad perjurium:* Meliorem ejusdem opinionis assecla Azo *in summ. C. de his qui ven. ætat. impetr. n. 2, in fin.* rationem adfert, quod sagacior fœmina præsumatur, quam masculus, unde & tardas esse ad donandum, *l. 4. §. 1. D. ad SCt. Vellej.* sed frustrà exinde sagacitas præsumitur. Id enim propter avaritiam illo-

rum,

rum *in d.l.4. §.1.* ita dici, teſtis eſt Maſcard. *de prob. concluſ.* 1076 *n.* 30. Diſſidium hoc unicâ particula *tantùm, in l. hâc noſtrâ.* 2. ibi: *annos tantùm ætatis probari poſſe*, excitavit; ſed animadvertendum eſt, particulam hanc *tantùm*, comparitioni perſonali & non morum probationi opponi; Contrarium ſiquidem in ipsâ hâc lege invenitur, ibi: *Fœminas quoq;, quas morum honeſtas, mentisq; ſolertia commendat.* quæ qualitates, quia in lege expreſſæ atq; præſuppoſitæ meritò probari debent. vide Reinking. *tract. de jur. retract. quæſt.* 2. *num.* 541.

XXXI.

Quod diximus, fœminas miſſo procuratore intentionis ſuæ fundamentum probare, de ſolis etiam fœminis non maſculis verum eſt: in his enim (*s*) ſubſtantiale hujus impetrationis requiſitum eſt, ut ſe maſculus præſentem in perſona ſiſtat, *per text. l.* 2. *ibi: per ſe*, quod ſemper quoties perſonæ qualitas examinanda ac conſideranda eſt, fieri amat, Gotofred. *in not. ad l.* 2. *C. h. t. lit. c.* facilè enim ex perſonali præſentiâ, morum, prudentiæ ac ætatis judicium fieri poterit, imò ex ſermone, vultu, geſtu explorari, an illud reſcriptum Principis ex ſub- vel obreptione obtentum ſit, nec ne? Duar. *in Comment. C. ad hunc tit.*

XXXII.

Hiſce ritè ita peractis, ſi ex ſcripturâ & teſtium depoſitione, omnia, prout in reſcripto habentur, judex invenit, quæritur, an ſententiam declaratoriam ferre debeat? Quæſtio profectò tunc maximè utilitatem ſuam præbet, quando controvertitur, ſi minor probationis tempore, antequam judex auditas & viſas probationes validas declaravit, contraxerit, an adhuc reſtitutionis beneficio uti poſſit? quod, licet jam ætatis

privilegium à Principe obtinuerit, affirmandum credo, nulla siquidem impetrati privilegii vis est, nisi ea, quæ Principi allegavit coram judice, ut supra notavi, probarit, nam intermedio tempore pro majori non est habendus, quia adhuc substantiale ejus veniæ requisitum, nim, probatio deficit probata autem omnia esse, judicis est per sententiam declaratoriam docere, ut ita venia illa terminum à quo declaratione judicis accipiat, quæ est sententia Dni. Mævii *in Commentar. ad jus Lubec. lib.*1 *tit.*2.*art.*7.*n.*16. *ibi sententiâ declaratoriâ omninò opus est*; adde Dn. Myller. *in Etolog. ord. Imperial. cap.*5.*num.*7.

XXXIII.

Sæpè dictam hanc ætatis veniam eo fine, eâq; intentione tam sedulò minor urget, ut eâ legitimo modo impetratâ jure majorennium, vel in uno aliquo actu tantùm, Roland, à Valle. *consil.*54. *num.*12. *& seq. lib.*2. Octav. Simoncell. *de Decret. minor. lib.* 1. *tit.* 1. *inspect* 3 *num.*88. Mævius *ad jus Lubec.lib.*1.*tit.*2.*art.*7.*n.*26. vel in omnibus, *tot. tit. C. de his, qui ven. ætat. impetr.* uti possit, h.e. legitimæ ac perfectæ ætatis (quæ annis 25. impletis incipit, *l.*3 *§* 3.*D.de minorib. l.fin.C.h.t.*) homo censeatur, Bocer.*de Regal.c.*2.*n.*134. hinc est, quod Dd. ætatem 25. annis constantem duplicem faciunt, unam *naturalem*, quæ ita dicitur vigesimo quinto anno, per naturalem annorum cursum impleto, *l.*1. *C. si minor se major dix.* alteram *civilem* vel *fictam*, quæ dispensatione Principis, aut statuto talis est, prout in terris Saxonicis completo 21. anno, majores dicuntur. Landrecht. *lib.*1.*art.*42. vide Matth. Steph. *de jurisdict. lib.*2 *part.*1.*c.*1.*memb.*2.*n.*139. unde ætas XXV. annorũ naturalis & ficta seu civilis dispensatione Principis, ad

paria judicantur, *l.* 10. *C de appellat.* quoniam ſicuti juſtum cenſetur rerum eſſe pretium, quod à ſuperiori taxatum eſt, *l.* 1. *§.* 1. *D. de offic. Praefect. urbi.* ita juſta quoque cenſetur ætas, quæ à Principali clementiâ taxatur: Gotofred. *ad l.* 1. *C. h. t. lit. r.*

XXXIV.

Hoc autem illis in caſibus maximè procedere, in quibus civiliter factum eundem effectum, quem naturaliter factum habet: Dd. notant. Erneſt. Cothman. *conſil.* 44. *n.* 181. *vol.* 1. Beſold. *in delibat. jur. lib.* 1. *p.* 79. hinc ſi lex pœnalis majoris mentionem facit, locum non habet in minori qui per veniam ætatis major repræſentatus eſt, prout diſpoſitionem, *l.* 41. *C. de transact.* in civili & ficto majori locum habere negat Cagnol. *ad eam legem*; quam ſententiam quoque tenet Bertaz. *ad d. l.* 41. Decius *conſil.* 258. *col.* 3. ex eâ ratione, quoniam ætas ficta, eundem in pœnis, quem ætas naturalis effectum non habet, *l.* 16 *§.* 3. *D. de pœnis.* licet enim doloſum ſit ejuſmodi ficti majoris judicium; infirmitate tamen aliquâ per ſe laborat, ut ſic minor ſit hujus perverſitas, adeoque etiam mitiorem mereátur pœnam. *l.* 37. *§.* 1. *D. de minor.* Carpz. *jurisp. for. par.* 4. *conſt.* 17. *def.* 11.

XXXV.

Porrò exæquatio illa ætatis naturalis & civilis in dubio non procedit: dubio enim de perfectâ ætate exorto, ea intelligenda eſt, quæ viginti quinque naturaliter impletis annis conſtat. Gotofred. *ad l. fin. lit. u. C. h. t.* Sic in cauſis teſtamentariis, ſi Titio teſtator legatum aut fideicommiſſum ſub hâc formâ reliquerit, cùm ad legitimam ætatem pervenerit, ex quò tempore legatum aut fideicommiſſum debeatur? Quæſtio in praxi frequens, de quâ eſt *l.* 50. *D. de legat.* 3. *& l. fin. D.*

de condit. & demonstr. Anton. Gomerz. *lib.1. var. resol. c.5. n.28.* Distinctione dubium hoc solvendum censet: Ita, vel Legatarius, aut Fideicommissarius tempore conditi testamenti erat impubes, aut pubes; priori casu in annum pubertatis 14 posteriori in tempus perfectæ & legitimæ ætatis XXV. annorum ipsi relictum videri, quos naturaliter, non fictè per Principis indulgentiam & veniæ impetrationem completos esse oportet, est enim voluntatis hæc quæstio, verisimile autem non est de aliâ quam legitimâ XXV. naturali annorum ætate testatorem cogitasse quam opinionem egregiè juvat Justinian. *in l. fin. C. h. t.* si quis ait, aliquid dari vel fieri voluerit, & legitimæ ætatis fecerit mentionem, vel si absolutè dixerit perfectæ ætatis, illam tantummodò intellectam volumus, quæ XXV. annorum curriculis impletur, non quæ ab imperiali beneficio suppletur, vide Bartol. & Salicet. *ad l. fin. C. de his, qui ven. ætat. impetr.* Socin. junior. *consil. 63. n. 49. vol. 5.*

XXXVI.

Si itaque minor, cui ætatis venia legibus approbatâ formâ concessa legitimæ ætatis homo censetur, sequitur omninò, quod eo ipso dum major declaratur, etiam curâ liberetur, & ita sine curatore agat, *pr. Inst. de curat. l. 3. C. si major factus alienat. sine decret. fact. rat. hab.* Bocer. *de Regal. c 2. n. 134.* quod ita accipiendū, ut non æquè aliorum curam eum subire posse affirmemus, in alienis enim rebus administrandis non civilis, sed naturalis XXV. annorum ætas requiritur, *§. 13. Inst. de excusat. tut.* & ille, cujus res plenissimo jure hypothecarum teneri non possunt, tutor aut curator fieri nequit, *l. fin. C. de legit. tut.* atqui ex indulgentia majorum res plenissimo jure hypothecarum teneri non

possunt.

possunt, *l.3. C. de his qui ven. ætat. impetr.* Ergò tutores vel curatores fieri nequeunt: facit insuper quod generaliter, ut propria bona minor administret, ætatis veniam obtineat: *l. 2. tr. C. h. t. ibi: paternam frugem vel avorum patrimonia gubernare,* quæ alterius patrimonii administrationem respuunt, aut speciale decretum exigunt, & hoc ad Comites, Duces, aliosque extendendum probat Tiraquel. *de jur. primogenit. qu.* 40. *n.* 210.

XXXVII.

Hæc ipsa quoq; ratio me movet ne hujusmodi majorem admitti credam ad honores & officia publica; Nam & ibi XXV. anni naturales requiruntur, *l. 8. D. de munerib. & honorib.* licet qui jam vigesimum annum complevit, judex fieri possit, *l. 41. D. de recept. qui arbitr. junct. l. 57. D. de re judicata.*

XXXVIII.

Sequitur porrò, quod talis majorum jura nactus instar viginti quinq; annorum hominis bona sua administrare possit, Bets. *de pact. famil. illustr. c. 7. pag.* 273. liberè varios contractus, ut emptionem vendit: locat: conduct. societat. mandatum item mutuum, commodatum, pignus, depositum, &c. celebrare; & quidem ad eum effectum, ut ipse in propria persona possit & conveniri & convenire alios, quia legitimã in judicio standi personam habet, Duaren. *ad hunc tit.* Hillig. *in Don. Enucl. lib. 21. c. 12. in not. ad lit. y. pr.* & quamvis minus idoneè rem suam administraverit, post impetratam nim: veniam & declarationem, quod major sit, non ante, quia ætatis venia quoad contractus ipsam antecedentes nullum operatur effectum, Bets. *sup. laudat. tract. c. 7. p.* 274. beneficio tamen & auxilio in integrum restitutionis uti nequeat, né illi, qui cum ejus-

modi

modi majori contraxêre principali authoritate circumscripti videantur, *l.1. C.h.t.* si autem ante veniæ concessionem contrahendo læsi sunt, quadriennium restitutionis ipsis non XXV. annis impletis, sed statim à tempore declarationis veniæ ætatis currere incipit, post Cynus *in l. fin. in fine C. h. t.* Cothman. *vol. 1. resp. 42. num. 20.* Besold. *in delibat. jur. pag. 79. & seq.*

XXXIX.

Olim certè de omnibus tàm immobilibus quàm mobilibus, *l.1 C.h.t.* quod enim *in l.3. hoc nostr. tit.* constitutum est, in illis qui ætatis veniam impetrârunt, neque prædiorum alienationem, neque hypothecæ constitutionem aliter procedere, quam si decretum intervenerit, recentius jus est à Constantino primùm introductum: Constantinus illud quidem de prædiis, *l. 2. C.h.t.* non generaliter, sed de fœminis tantùm constituerat, ibi: *ut ipsa etiam in omnibus tale jus habeant, quale & mares habere præscripsimus, ita tamen, ut prædia sine decreto non alienent:* At Justinianus *in l.3. C.h.t.* illud ad mares quoque extendit, ut & ad hypothecã, fortè quoniam per hypothecæ constitutionem devenitur tandem ad rei distractionẽ & possessionis translationem, non secutâ se solutione, prohibito enim aliquo, censetur quoque prohibitum, per quod ad illud pervenitur, Menoch. *consil. 116. num. 16.*

XL.

Probè itaque notandum, quod, quæ de alienatione & legitimâ in judicio standi personâ, diximus, nisi expresè etiam quoad bona immobilia concessa sit, hodie saltem quoad bona mobilia procedant Quare si per veniam ætatis major bona immobilia alienaverit, vel hypothecæ supposuerit, licet per quinq; annos conti-

continuos tacuerit, occasione prætermissi decreti eam tamen retractare potest. Ratio, quia illud quinquennium post XXV. annos demum naturales completos, etiam illi, qui civiliter major est, non ex tempore, quo fictam majorennitatem acquisivit, currit, *l. 3. C. si major fact. alienat. fact. sine decret. rat. habet.* Ratio rationis est, quia per veniam major in bonis immobilibus hodiè minorum instar est, *l. 3. C. h. t.*

XLI.

Pari modo si adolescens fortè octodecim annorũ prædium aliquod sine decreto distraxerit, & per veniam Principis major factus ratam alienationem habuit, utiq; nulla est, quia civiliter major ejusmodi bona distrahere nequit, adeoq; ante factam alienationem eo tempore ratam habere non potest; quia in effectu, qui ratum habet, alienat; Tenetur itaq; vigesimum quintum annum naturalem expectare, & tunc emptorem securum facere, *l. 2. C. si major fact. rat. hab.* Ex hoc autem nova jam surgit quæstio, ex quonam tempore alienatio facta videatur, an ex eo, quo ab initio facta est, an ex quo ratam habet? quæstionem hanc scitu valdè dignam esse, ratione damnorum & interesse, nec non ratione hypothecæ, aliis medio tempore quæsitæ tradit Surdus *decis. 245. per tot.* Ego, cum Anton. Thesaur. *decis. 7. n. 2.* ex eo tempore quo ab initio facta est, eam valere, defendere conabor; & quidem *arg. l. fin. C. si major. fact. alienat. fact. sine decret. rat. hab.*

XLII.

Ita etiam si de immobilibus rebus controversia exorta fuerit, cum in his ex veniâ major minoris loco habeatur, *d. l. 3. C. h. t.* non poterit sine vitio processus aut actoris aut rei partes sine curatore suscipere; Minores

tionem ipsi denegat Bets. *d.tr.c.7.p.277.pr.* immò plus illi, quàm veniam impetranti tribuit, quando & immobilia hypothecæ submittere posse, *p.280.* defendit: verùm ista relatio non nisi circumspectè facienda, exploratâ tum præcedente minoris conversatione atque indole, tum & ad negotia aptitudine: quod tam ipsius minoris, quam aliorum causa refert.

XLV.

Huc III. omninò etiam illa statuta pertinent, quæ XXV. annos minores majores declarant, quia statutū si minorem habilitat, generaliter veniæ ætatis concessio censetur, uti supr. ex Decii *cons.403.n.2.* observavi; sed latius statutum tale sese extendit, non solùm enim restitui non possunt læsi statutô majores, nisi causa restitutionis talis sit, quæ majori possit competere, Argentræ. *ad consuet. Britan. ad tit.21. qui præcedit art.457. n.9.* ubi contrariis Molinæi argumentis accuratè satisfacit; sed verè, realiter, nec significativè, aut quoad quid, sed per omnia idem consequuntur, quod Romani annis XXV. Argentr. *d.art.457.n.2.p.154.* ratio sanè in obscuro esse non potest, quia statutum, jure civili constitutum terminum tanquam jus positivum in naturali ratione non fundatum sustulit, & ejus loco, alium substituit, habitâ forsan ratione suæ gentis, quæ cum subtiliore cœlo nata, citiùs quàm crassa sub aëre viventes, maturescat. vide Tulden. *ad tit. C. de his qui ven. æt. impetr. n.5. p.91.*

XLVI.

Affinitatem quoq; & similitudinem quandam cum nostra ætatis concessione habent IV. promotiones & electiones minorum ad ea officia & munera, quæ non nisi majoribus XXV. annis concedi solent, puta si mi-

 nor

nor contra *l.8.D.de muner.& honorib.* ad Rempubl. administrandam eligitur, ut Consul aut Prætor fiat: Princeps enim, qui ei Magistratum dedit, quoad ætatem dispensasse creditur, *arg.l.57.D.de re judic.* Item si masculo ante 14. annum, fœminæ ante annum 12. quia sufficienti ad testandum intellectu præditi sunt, testamenti factio conceditur, Jason. *in l.7.C. de precib. Imperator. offerend.*

XLVII.

Quemadmodum hæc ætatis veniam constituunt, ita eam penitus interimunt. I. sub & obreptiones, quibus ætatis venia impetrata fuit. *l. 2. C. si contra jus vel utilitat. public.l.7. C. de Precib. Imperator. offerend.*

II. Renuntiatio, quia quilibet favori pro se introducto renunciare potest, *l. fin. C.de pactis.* hæc autem renunciatio, ne cum ejusmodi majori contrahentes decipiantur, publicè & solenniter fieri debet, nisi enim renuntiationem hujus veniæ concedimus, sequitur, in odium & damnum ipsius minoris resultare, quod in favorem ei concessum. Oddus *tract. de restitut. in integr. quæst.23 art.10. num.45.*

III. Restitutio adversus ipsius veniæ impetrationem, quia cum minore XXV. annis quid gestum est, *l.1.§.1. D.de minorib.* Arum. *vol. 3. discurs. jur.publ.15. conclus 33. in fin.* Duaren. *in C.h.t.* non autem, nisi magnâ & gravi ex causâ hæc decerni, & tantùm ad actus futuros non præteritos trahi debet. Franc. Caldas ad *l.3.verb.læsis.num.86. C.de in integr.restit. minor.*

Hæc sunt, Amice Lector, *quæ tempore exclusus calamo nimiùm festinante notare potui, miraberis, quod temporis angustiâ incomtam disputationis meæ seriem excusare conatus sim, sed res aliter se non habet, licet enim ante tres*

menses

menses utrumq; Iuris examen subierim, iisque exantlatis à Magnifico JurisConsultorum Collegio in almâ hâc Argentinensi, sine morâ Inauguralem Disputationem conscribendi, & absq; Præside more majorum habendi, facultatem obtinuerim, omne tamen tempus, debitus optimæ piè defunctæ MATRI luctus, infausti itineris mei causa, & occupationes aliæ, sibi vindicarunt, ex itinere autem huc reversus, compertâ insigni aliquâ absenti mihi factâ injuriâ, impetu quasi quodam præsens thema elaborandum suscepi, ut eô editô livor manifesto ruborè perfundatur: Tu modò, Lector Amice, si quid tumultuariâ operâ & crebris interstitiis (dum nec hic defuêre, quæ festinanti sapè remoram injecerunt) neglectum, aut non quo decet modo, dictum animadverteris, æqui boniq; consule, & sicubi erratum, admone, meliora enim docentem sequi, gestit animus; Si quis autem neutrum velit, adeò non moror, ut quò magis injustus me obtrectationibus oneraverit, eò melius ego mecum agi existimaturus sim, maledicta siquidem spreta exolescunt, si irascaris agnita videntur.

Tibi autem, O Summe DEUS, in cujus nomine Inauguralem hanc auspicatus sum, pro præstitâ gratiâ, quas mente concipere possum ago gratias, da porrò Domine DEUS, mihi, servo tuo, ut omnes & cunctas actiones meas ad Divini tui nominis gloriam, & proximi salutem conferam, utque finis studiorum meorum sit erudita pietas, quod velis faxisq; Æterne DEUS propter merita REDEMPTORIS nostri, cui sit laus, honor & gloria, in secula sempiterna, Amen.

MANTIS-

MANTISSA.

Ex Jure Divino.

Omnem omninò usuram sacrâ paginâ damnari non videtur mihi probabile.

Simplex & nuda malitiosa desertio non rectè ad effectum solvendi matrimonium cum adulterio conjungitur.

Quin autem Magistratus si legitimo tempore absens citatus, nec compareat, nec respondeat, desertæ parti, causâ cognitâ, conjugium concedere poßit, nullus dubito.

Ex Jure Canonico.

Donatio inter conjuges facta juramento, secundum Canones valet.

Iure Canonico nauticum fœnus non est sublatum.

Ex Jure Civili.

Prorogationem Iurisdictionis adhuc hodie fieri posse, sed diverso prorogandi modo, ab eo, qui apud Romanos, & seculo Iustiniani obtinuit, plus unâ vice judicavit Augustißimum, quod est Spiræ, Imperialis Cam. tribunal.

Errare mihi videntur, qui Iurisdictionem & mixtum Imperium rem unam & eandem dicunt.

Item & illi qui dari jurisdictionem *aliquam* simplicem, *negant.*

Mixtum Imperium etiam Magistratui municipali competere, assero.

Filiumfamil. de bonis adventitiis pleno jure possessis, testari non posse, defendo.

Donationem ob supervenientes liberos regulariter non revocari, statuo.

Ex Jure Feudali.

Thesaurus in fundo feudali inventus vasalli est.

Feudum Francum si redeat ad Dominum, & postea novo acquirenti in feudum concedatur, etiam non factâ servitiorum mentione, non censetur esse francum.

Status

Ex Jure Publico.

Status Imperii bannum Imperiale irrogare nequeunt.

Supplicatio ad Cæs. Majest. propter nigrum latum calculum in judicio Aulico, intra biennium interposita, non tantùm devolutivum, sed & suspensivũ effectum habet.

SI quis serenâ conscientiæ fide
peragit honesta functionum munera;
an iste timeat stridulæ mendacia
famæ? Sinistri Te nihil rumusculi
HERPFERE moveant! Gloriæ calumnia
solet esse comes aut invidia pedissequa.
Insiste sueto diligentiæ gradu,
& reliqua temne fluxa, nulla! Satis habet
ille Favitorum, quisquis hîc rectè facit!

Præcellentis Dn. Candidati honori
l. m. q. adscripf.
Gerardus von Stöcken/ U. J. D.
& Instit. Imper. P.P. p.t. Fac. Jurid.
DECANUS.

ÆTatis veniam, Iurisq; peritus & æqui
HERPFERUS *noster discutit arte probâ.*
Gratulor ex animo, atq; obtestor Numen, Honoris
Hic primus gradus ut sit gradus alterius!

Johannes Rebhan, D. Com. P. Cæs.
Coll. Jurid. in alma hac Arg. Senior.
Cod. & Feud. Consuet. P. Ord. &c.

Clarissimo DNO. HERPFERO,
Jurium Candidato dignissimo.

QUid notet ætatis veniam concedere, doctè
HERPFERE quando disputas

Applaudo

applaudo studiis claris, applaudo labori
Quem mox Tiara amplectitur.

gratulabundus f.
Gothofredus Stösser D.
Pand. Prof. Ord.

Ad Clarissimum Dn. Candidatum, Amicum suum certissimum.


ÆTatem supplet Princeps, ætatis origo
fictitia, major, quo minor esse queat.
AEtatem supples doctrinâ juris honorâ,
Dignius hinc major, qui minor, esse potes.

Joh. Nicol. Ethard D.

NOn satis ad Solis radios & noctis olivum
Assiduâ Themidos volvere scripta manu?
Non satis est prisci secreta repandere Juris
Feudalis? Sed quid publica jura juvat
Volvere? Sedulitas facit hoc tua, cura laborque,
Quem sequitur fructus largus & auricomus,
Te Themis alma etenim merito mactabit honore
Doctorisque brevi nomen habere dabit.

Sinceræ amicitiæ & congratulationis ergo Clarißimo Dno. Candidato, Fautori & Amico suo multùm honorando & amando adscribebat

Joh. Christophor. Uffenbach,
J. U. Cultor.



F I N I S.